illud enim non omnino oblongô, neq; testudinatâ, neq; planè
rotundâ, sed quæ omnium quasi sit particeps, tereti quadam
efformavit habitudine, quâ neq; ad agilitatem, neq; ad ele„
gantiam accomodatior ulla reperiri potest: tum etiam quo
proposcidem spiculavit ingenio, quàm exili, quàm reciprocâ
arte conformavit? ut fodiendo acuminata, sorbendoq;
fistulosa deprehendatur; texturâ verò tergoris quàm sine
ullo dispendio capiti continuavit? quàm pulchrè imbricatis,
sed etiam ponè inexplicatis coniunxit vertebris? ita ut
(quod omnibus insectis peculiare esse solet) frustillatim
etiam concisus, spiritûs tamen aliquid servet, mortiq;
intrepidè occurset, et, quod omnia domat, fatum moretur
et expectet, tantus est in tantillo corpore vigor, tantâ
pollet acrimonia! quid iam dicam de pedibus? qui suis
distincti internodijs non minus mirabili adhærent arte,
et quidē prioribus ad plurima utitur officia, vel ut scabat,
vel detergat, vel denique ut ijs sese in omnem partem dis„
tringat. Quis verò dedit aculeum pulici quo sanguinem exsugit?
quàm tenuis, quàm subtilis fistula est, quâ sorbet! ita ut acutissimum
etiam visum vix admittat. Cessemus iam mirari turrigeros tardorum
elephantorum humeros, taurorum colla, et truces in sublime iac„
tus, tigrium rapinas, leonumq; iubas, pulicem obstupescere nos opor„
tet, cum naturæ artificium ac ingenium nulla in re magis, nisi
in minimis integrum atq; perfectum reperiatur: Unde Plinius